

locum dilexerunt, et sua corpora ibidem tumulari A  
voluerunt, ut a Christo Domino in die iudicii resuscitari mererentur. Usque hodie enim, id est usque ad præsentem annum, qui est incarnati Verbi 1058, anni vero regni regis Francorum Henrici xxviii, hoc ipsum devote in hac peractum est ecclesia. Quod et ut in posterum fiat humiliter fatendum est. A rectoribus quoque loci sive a ministris magnopere procurandum est ut, sicut in ecclesia agi diximus, sic quoque refectio ex pretiosis dapibus et pigmentis pro ipsorum spiritibus solemnè præparetur obsequio, quia, ut vulgo dicitur, inanis videtur esse labor qui victus alimoniam non tribuit. Et ne hoc vanum cuiquam aut floccipendendum videatur, abbatis Giraldi seu totius congregationis favore ac voluntate statutum est ut pro comite Burchardo, qui tanta beneficia nunc ecclesie contulit, ut quisque ex præsentis styli narratu noscere valet, provisor Nobiliaci, pro Eli-

beth vero Cruciaci, pro Rainaldo præsule Seixæ, pro Hugone rege Mansionum, pro Ermenfredo autem ejusque conjuge Liciarum et Jurei, pro abbatibus hujus congregationis provisor atque thesaurarius hujus loci diligenter, absque omni negligentie incursu, studerent perficere. Qui autem hoc decretum postmodum despiceret aut destruere conaretur, perpetuo excommunicationis anathemate damnaretur.

Proposueram in præmio hujus Operis post hæc de præsule Rainaldo aliqua disserere, quo ejus memoriale posteris notum fieret. Sed quia non est in potestate hominis vita ejus, multis incommodis urgentibus, me nunc hoc perficere minime libet, donec optatæ pacis et tranquillitatis tempus adveniat. Gratias tamen et in prosperis et in adversis semper agamus Jesu Christo, sanctoque Paraclito, qui vivit et permanet unus Deus indivisibiliter per cuncta sæcula. Amen.

EXPLICIT VITA DOMNI BURCHARDI VENERABILIS COMITIS.

ANNO DOMINI MLVIII.

# ANSELMUS

## CANONICUS LEODIENSIS.

### ANSELMI

## HISTORIA EPISCOPORUM LEODIENSIVM.

(Vide *Patrologiæ* tom. CXXXIX, in *HERIGERO Leodiensi*, ad an. 1008. *Anselmum ab Herigero, quamvis annis quinquaginta juniorem, propter arctam quæ inter opus utriusque exstat connexionem, disjungere oluimus.*

ANNO DOMINI MLVIII.

# DROGO

## BELLOVACENSIS EPISCOPUS.

### NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia christiana*, nov. edit.. tom. IV, pag. 708.)

Occurrit quamprimum Drogo an. 1035, quo, C  
concedente Henrico rege, fundavit non longe ab urbe  
monasterium S. Symphoriani. Anno sequenti duo  
alia monasteria instauravit: Flaviacum nempe, vi-  
rorum; et oratorium virginum, nunc S. Pauli  
nomine insignitum. Fundavit etiam ex Luvetio,

tom. I, pag. 50, an. circiter 1057, ecclesiam colla-  
giatam S. Laurentii; et eodem anno alia S. Bartho-  
lomæi collegiata fundata est ab Hailone milite.  
Henrico rege fundationem confirmante. Præterea  
ejus consilio monachi cum abbate restituti sunt apud  
Britolium; et ipse dedit canonicis suis ecclesias de

Haudivillari, de Exulio et de S. Eusebia; monachis vero S. Luciani alias ecclesias cum comitatu et vicaria Warlosi, cuius rei chartam habes apud Luvetium tom. II, pag. 190. Anno 1047 subscripsit placito Henrici I regis pro cœnobio S. Medardi Suessionensis adversus Robertum Codiacensem; et donationi Balduini cancellarii in gratiam monachorum S. Praejecti Quintinopolitanorum anno sequenti adfuit concilio Silvanectensi. Anno 1049 a Leone IX

papa vocatus ad concilium Remense, nec convenit, nec misit excusationem; sed in comitatu regis commanens perrexit ad bellum; quare excommunicatus est cum archiepiscopo Senonensi, episcopo Ambianensi, et abbate S. Medardi. Sed paulo post ab excommunicatione solum conjicimus, nam Ecclesiam suam gubernare perrexit, atque in ea pacifice diem clausit extremum. Obiisse dicitur anno 1058.

## DROGONIS

### EPISTOLA AD W. COEPISCOPUM SUUM.

(Apud Baluz. Capitul. tom. II, col. 1549.)

*Consultus a Widone episcopo, ut videretur, Silvanectensi quid agendum foret de quibusdam hominibus qui sacerdotem acriter verberaverunt, respondet inter alia ex Capitularibus, et caput 98 libri VI, De sacerdotibus et levitis atque monachis interfectis vel debilitatis, ad sententiae suae probationem adducit.*

Fratri et coepiscopo W., D. Belvacorum episcopus, salutem.

Si res ita se habet ut vobis vester fidelis ill. narravit, illos sacrilegos non tam excommunicastis quam excommunicatos esse denuntiastis. Nam si humana lingua taceat, divina tamen auctoritas post patratum flagitium mox illos anathematizat. Quod ex verbis Domini colligimus sic loquentis ad discipulos suos: *Qui vos spernit me spernit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi, mei.* Isti enim membra Christi et pupillam Dominici oculi non solum tetigerunt, sed, ut audio, acriter verberaverunt. Unde et protinus divino iudicio communionem privati fuerunt. Ubi de re peritura agitur, dandae sunt forsitan in quibusdam negotiis harum vocationum dilationes. Quando autem hoc tale et tam maximum committitur sacrilegium, in quo verum Dei templum non manufactum violatur, eodem momento operator hujus iniquitatis non tantum reus efficitur excommunicationis, sed etiam alienius magni supplicii quod possit et ipsam superare gehennam. Recte igitur eos absque dilatione excommunicastis qui non timuerunt extendere manus in sanctos Dei. Quod si quaeratur quomodo puniri vel corripiri debeant, expedit eis ut mola asinaria gravati demergantur in profundum maris, qui famulis Christi scandalum inferentes verberibus eos et contumeliis afflixerunt. Leges quoque mundanae in Capitularibus praecipunt hujusmodi aut capitali sententia puniri, aut exsilio deportari, aut manus incontinenter extensas praecidi, aut depositis militaribus armis in monasterio, sub perpetua retrudi poenitentia. At vobis pro tempore et saeculari consuetudine mitius erit agendum, videlicet ut prius vobis emendetur excommunicatio; deinde capitalia, si ablata sint, cum lege triplici reddantur. Ictus quoque singuli et prensiones secundum legem tripli-

ter emendentur. Postmodum exigite ab eis triginta libras quae solent dari pro infractione atrii ecclesiae. Multo enim pretiosior est Dei minister quam atrium templi vel parietes. Praeterea congrua injungatur eis poenitentia aut septem aut quinque annorum, ut et isti corrigantur et caeteri metum habeant. Hoc est excerptum de sexto libro Capitularium, capitulo 98: *Si quis sacerdotem vel levitam aut monachum debilitaverit, juxta statuta priorum capitulorum quae legi Salicæ sunt addita componat, et insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos nobis persolvat, et arma relinquat, atque in monasterio diebus vitae suae sub ardua poenitentia Deo serviat nusquam post modum saeculo vel saecularibus militaturus, neque uxorem copulaturus.*

Tempore Ludovici regis, patris Lotharii, fertur quiddam actum. Cum quidam ira permotus quemdam sacerdotem gravissimis affectum injuriis et ad extremum plagis non timeret lacerare plurimis, uterque coram regia censura reductus est. Qui diligenter causam examinans, Christi ministris ut doceret omnem exhibendam reverentiam, omnes circumstantes sibi sic allocutus est: « Omnis, inquit, nostrae religionis cultus per sacerdotum officia percelebratur; ideoque eis omnimodis cultus reverentiae divinae exhibetur, non eorum aliquando hoc exigente vitae merito, sed ut in eis videatur a nobis obtemperari Christo. Unde hunc qui sic intemperanter efferatus in Dei sacerdotem est deductum, censeo ad arboris stipitem stringi, omni vestimentorum adempto tutamine. » Cum itaque juxta regis sententiam comprehensus, nudatus ad arborem foris fuisset constrictus, tanta ibidem refertur repente advenisse permolesta multitudo masearum ut antequam. . . . rex fecisset regrediens milliarium, omne corpus ejus comestum referretur.